de Jure missus in possessionem ex primo decreto intelligatur tantùm missus
31. rei servandæ causâ, atque tædialis missio vocetur. Pro affirmativâ tamen concludo, quia in pœnam contemptûs Statutum contumacem commodo fructuum privare potest, quam pœnam debitor evitare potest. Jacob
32. Menoch. *de Retinen. posses. remed.* 3. *n.* 79. Ampliatur. Ut taliter Misso in possessionem *ex primo Decreto* vi Statuti competat Remedium possessorium, retinendæ, si in eâ possessione turbetur. Men. *dicto loco. n.* 177. Ratio est, quia commodum fructuum possessorem sequitur. *L. Fulcinius* §. *ult. ff. Ex quibus causis in posses. eatur.* Misso autem ex primo decreto simpliciter non competit remedium retinendæ, *L. Si duo. ff.* §. 8. *Uti poss.*

CAPUT III.

DE

Statutorum Divisione.

THESIS IV.

N. I. N hoc satis conveniunt Doctores, quòd Statutum sit personale, quando simpliciter disponit de personis, sive quando universus personæ status, sive conditio in dispositione Statuti vertitur, citra ullam rerum adjectionem, adeóque de personis agitur in abstracto absque ullâ consideratione rerum, ut verbi gr., quoto quis ætatis anno sui juris sit, quando exeat parentum potestate. &c. Argent. *ad Consuet. Britt. art.* 218. *Gloss.* 6. *n.* 7. Rodenburg. *in Tractat. de Jure quod oritur ex Statut. diverf. tit.* 1. *C.* 2. Burgund. *ad Consuetud. Fland. Tract.* 1. *n.* 1. *in med.* Voetz. *in Hist. Jul. n.* 54.

2. Et econtra, quòd indubitatè realia sint Statuta, quorum dispositio in solas nudasque res cadit, ut nullum hominis actum intervenire aut aliquam concurrere operam necesse sit; cujusmodi sunt, quibus rerum Successionibus ab intestato jus ponitur, veluti, ut bona Paterna Paternis, Materna Maternis cedant, bastardi Matribus, non Patribus succedant; & quibus successio modo in stirpes, modò in capita regulatur. Argent. *loco cit. n.* 8. Voetz. *in Histor. Iuliac. n.* 57.

3. Præterea satis & in eo conveniunt, quòd quædam sint Statuta circa solennia v. g. contractuum & testamentorum iis modum & formam præscribentia. Mævius *ad Jus Lubec. lib.* 3. *art.* 6. Voetz. *in Hist. Juliac. n.* 59. Rodenb. *in d.t. tit.* 2. *C.* 3. Burgund. *tract.* 4. *n.* 7.

4. Qualia verò sint Statuta, quæ ordinant personam ad actum peragendum, personam ad hunc actum habilitando, vel inhabilitando, v. g. ne conjux conjugi legare, uxor sinè consensu Mariti bona sua alienare possit, item Statutum permittens filium familias testari de adventitiis. Mirè inter se variant DDres & quidem

5. Primò, Bart. *in L. Cunctos. pop.* 1. *C. de Sacros. Trinit.* Quique eum secuti sunt, interesse putârunt, quâ orationis structurâ Statutum sit concinnatum, & ex verborum inversione aliud atque aliud de ejusdem Statuti conditione judicantes, ut si ita habeat Statutum: primogenitus capiat Bessem, Statutum tanquam à personâ orationem incipiens personale sit: ità verò conceptum: Bes capiatur à primogenito, à rebus sumpto orationis initio Statutum reale evadat; Hanc autem Bart. Sententiam meritò refellunt Argent. *loc. cit.*
6. *n.* 24. Statutorum personalitatem vel realitatem non à verborum structurâ,

sed

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ſed à ſubjecto & materiâ eſſe metiendam aſſerens, Burgund. *Tract.* 1. *n.* 4. ubi dicit *Bart.* ſententiam in foro explosam eſſe: quid enim intereſt, unde conſtructio orationis incipiat, aut quibus verbis Statuta concinnentur, & valere juſſo tam futili verborum aucupio *Bart.* ſententiam jam pridem explosam eſſe teſtatur quòque Rodenb. *Tit.* 1. *C.* 1. *poſt med.*

7. Nonnulli 2dò, quodcunque Statutum diſponens de mobilibus eſſe perſonale tradunt, ùt Argent. *art.* 218. *Gloſſ.* 6. *n.* 30. Burgund. *d.t.* 1. *n.* 2. & 36. cujus ſententiam rectè improbat Rodenb. *Tit.* 1. *C.* 2. *circa fin. nec non tit.* 2. *C.* 2. *n.* 1. Quia nomine rerum, à quibus Statuta realia nominantur, æquè veniunt res mobiles atque immobiles; nec refert, quòd mobilia extra territorium exiſtentia domicilii Statuti diſpoſitione contineantur, atque ità tale Statutum perſonale dicendum foret; quia realia Statuta ulteriùs excurrere non ſolent, quàm ſeſe territorii limites protendunt: non enim ideo mobilia ſubjacent Statuto domicilii, quòd perſonale ſit, ſed quòd mobilia certo ac fixo ſitu carentia, ibi ſitum habere intelligantur, ubi perſona ſatem ac fortunarum fixit ſummam.

8. Aliqui 3tiò tenent, diſtinguendum eſſe; an Statutum applicans perſonam ad actum eandem habilitet, vel inhabilitet ad actum perſonalem, ſcilicet ad contractum, permittens, ut perſona contrahere poſſit, vel prohibens, ne contrahere valeat, & tunc dicunt Statutum eſſe perſonale; ſi verò diſponat de actu reali v. g. alienatione vel mancipatione bonorum, & tunc reale Statutum eſſe contendunt. Ità Rodenb. *Tit.* 1. *C.* 2. *verſ. Certo denique actui.* & *n.* 6. 7. & *ſeq. ubi n.* 10. dicit, quòd, qui mancipare vel alienare poteſt, quandoque contrahere non poſſit, econtra verò interdum aliquis, licèt contrahere poſſit, alienare tamen non poſſit, quod ipſum repetit, *Tit.* 2. *C.* 1. *n.* 2.

9. Econtra verò Burgund. *Tract.* 1. *n.* 29. & *Tract.* 4. *n.* 22. tradit, quòd etiamſi contractus ex Statuto domicilii ſit invalidus, mancipatio tamen à Statuto rei ſitæ poſſit valere.

10. Ego in hoc neutrius ſententiam approbo, quia, ut per traditionem transferatur dominium, prærequiritur titulus habilis §. 40. *Inſtit. de Rerum diviſ.* Ibique DDres, & quando eſt prohibita alienatio rei, etiam debet intelligi prohibitus contractus, quia ipſe eſt ad rem alienandam, & prohibito fine intelliguntur etiam prohibita media, quæ tendunt ad finem.

11. Sunt 4tò denique admittentes Statuta mixta & inter ſe variè diſcrepantes; enimverò Argent. *art.* 218. *Gloſſ.* 6. *n.* 8. exemplum Statuti mixti ponit: quo *Pagani feuda ex æquo dividunt, inter Nobiles verò ſolus primogenitus ad feudi ſucceſſionem admittitur.* Verùm hoc Statutum eſſe merè reale, bene probant Burgund. *Tract.* 1. *n.* 1. quia nihil eſt, quòd perſonam afficit; nec non Rodenb. *Tit.* 1. *C.* 2. *poſt. med.*, eò quòd diſpoſitio non in perſonæ ſtatum ſit directa, ſed circa rerum ſucceſſionem vim conſumat omnem.

12. Aliud exemplum Statuti prætenſi mixti refert Burgund. *Tract.* 1. *n.* 2. *Vetans ne minor bona alienet*, quatenus enim hac ſimplici oratione veniunt immobilia, eatenus reale Statutum eſſe dicit, perſonale verò quatenus etiam mobilia hoc Statuto alienari prohibentur. Similiter Statuta circa ſucceſſionem ab inteſtato, quia in hæreditate inſimul & mo- & immobilia veniunt, mixta vocitat idem Burgund. *Tract.* 1. *n.* 35. & *ſeq.*

13. Verùm & hâſce ſententias rectè refellit Rodenb. *Tit.* 1. *C.* 2. *poſt med.* easdémque ſententias & ego ſuperiùs improbavi, quando ſuperiùs omnia Statuta de bonis ſive mobilibus, ſive immobilibus diſponentia ad realium claſſem retuli.

14. Ego itaque in hoc opinionum conflictu nulla ſaltem pro praxi harum patriarum agnoſcens Statuta mixta, quando actus aliquis perſonæ permittitur,

 aut

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

aut prohibetur, ità sentio, ut si personæ status insimul turbetur, id est, si persona Patriæ, tutoriæ, vel curatoriæ potestati subjiciatur, vel exinde eximatur, tunc quidem Statutum sit personale; si verò iste status personæ non alteretur, Statutum sit reale, & in dubio, si v. g. Statutum vetet, ne uxor bona sinè consensu viri alienet, siquidem Statutum hoc latum sit favore mulieris, ne lubrico sexûs ipsa lædatur, & tunc talis uxor intelligatur subjecta curatelæ mariti & Statutum sit personale; & econtra, si Statutum respiciat favorem mariti forsan in bonis uxoris usumfructum habituri, ne in hoc ipsi facto solius uxoris præjudicetur, & damnum inferatur, ut tunc Statutum sit dicendum reale. Tiraquel. *ad Leg. connub. l.* 16. *Gloss.* 8. *n.* 225. *& seqq.*

CAPUT IV.

Cujus Loci Statutum in Conflictu sit attendendum.

THESIS V.

N. I. Dico imò: In Conflictu Statutorum personalium attenditur Statutum domicilii, sive ubi persona, quâ de quæritur, actu domiciliata est, Paul. Christin. *Decis. Belg. Vol.* 2. *decis.* 56. *n.* 6. Voetz. *in Histor. Juliac. n.* 54. Burg. *Tract.* 1. *n.* 3. *&* 32. *&* 53. *& Tract.* 2. *n.* 7. Ita ut quòcunque se transtulerit persona Statuto domicilii affecta, habilitatem vel inhabilitatem adeptam domi circumferat ubique, ac in universis territoriis Statutum domicilii suum exerceat effectum, Argent. *arg.* 218. *Gloss.* 6. *n.* 4. aliíque jam statim supra cit. adeóque nulli liceat Statutis caput suum subducere, ne quidem in fundorum alibi sitorum alienatione, Rodenb. *d. tractat. tit.* 2. *C.* 1. ab hac communi sententiâ dissentit Voet. *in ff. de Constit. Principum. n.* 7. *& seq.* dissentire quòque videtur, & contrarium sustinere. Gail. *Lib.* 2. *obs.* 124. *n.* 12. Sed, si mecum sustineas, Statutum Personale tantùm illud esse, quod turbat, vel mutat personæ statum, aut conditionem citra ullam rerum mentionem, comperies, Gail. *dicto loco.* non loqui de Statuto Personali, sed Reali; loquitur enim de Statuto: ne filiusfamilias testari possit de bonis castrensibus, quòd Statutum non personale, sed reale esse sustineo. Eodem modo dissentire videtur Carpz. *p.* 3. *constit.* 12. *def.* 12. *n.* 6. sed de reali quòque, non personali Statuto refert Carpz. *d. l.* In exemplo res clarior evadet. In hac Urbe, in Archi-Diœcesi Colon., utì quòque in Ducatibus Jul. & Mont. minor est, & permanet, qui 25. annum nondum complevit, hæc qualitas minorennitatis sese extendit ad bona ubicunque sita, etsi in loco bonorum sitorum aliud, imò contrarium Statutum vigeat, Voetz. *in Hist. Iul. n.* 56. quamvis contrarium velit Burg. *in sæpe citato Tract.* sustinens, dari Statutum mixtum; ast absurditatem ex ejus exemplificato Statuto mixto evenire, certum est. Pariformiter, si Statuto conceptum sit, ut uxoratus Patriam evadat potestatem, quà talis, quòcunque se transtulerit, Pater, non filiusfamilias est, nil obstante Statuto aliorum locorum contrario: sicut à simili, nobilitatus in uno loco non exuit hanc qualitatem in alio, sed hæc ubivis personam sequitur.

2. Cur autem legitimatus in uno loco non habeatur pro tali in alio, utì nobilitatus in uno loco habetur talis in alio, communi populorum consensu ita introductum est; in materiâ legitimationis autem receptum est, attendi debere potestatem legitimantis, adeóque legitimationem non extendi ultra territorium legitimantis.

Quæ-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf